Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25968
Copyright: Admont, Benediktinerstift

fessionemque peccatorum excurrerent. fit tandem per gratiam dei
magnum et memorabile factum hoc in homine. de quo uni
genitus dei filius qui hec omnia operatur. in sequentibus testatur.
Factum est autem inquit ut moreretur mendicus. et portaretur ab an
gelis in sinum abrahe. Est mors quedam. mors bona que
dicitur mors sanctorum. est mors alia. mors mala. que dicitur mors
peccatorum. De morte bona scriptum est. preciosa in conspectu
domini mors sanctorum eius. de morte mala scriptum est. mors pecca
torum pessima. Morte pessima illi moriuntur. qui carni car
nisque uoluptatibus dediti. post concupiscentias suas eunt. et
deum cognoscere penitendo nolunt. quod faciunt. eterne dam
nationis penam incidunt. Morte autem humilis christi mendi
cus. conuersus utique peccator: peccatorum suorum perfectus insec
tator: morte bona. morte illa que est uere mors preciosa
in conspectu domini. quando moritur mundo. quando moritur pec
catis et uiciis. quando moritur uoluptatibus et concupiscentiis car
nis. ita sane. ut quantum est in homine. non permittat domi
nari in se. quicquid misericordissimos omnipotentis dei oculos quem solum
amat. quem solum desiderat possit offendere. Cumque sic in se
mortificatur. in christo qui uita est uiuentium felicius uiuifi
catur: Unde statim subinfertur. quod portaretur ab angelis in si
num abrahe. Per abraham quod pater excelsus interpretatur.
deus pater accipitur. cuius maiestatis celsitudini nichil com
paratur. Sinus eius est requies illa interne dulcedinis. qua humi
lis christi mendicus suauiter reficitur. dum post longos atque diuti
nos penitentie cruciatus. suauissime diuine uisitatio
nis et consolationis sapore recreatus et uiuificatus. egesta
tis et mendicitatis sue perfecte obliuiscitur. Sed per quos aut a
quibus portatur in hunc sinum abrahe humilis mendicus. S[equitur]
Ab angelis. Per angelos qui nuntii dicuntur. sancta desideria.